



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

Vnguium species, & differentiæ. [Cap. II.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

exposita, ad firmandas, & perficiendas digitorum operatio-
nes magnopere vtilis. Qui dicitur sit vnguis, ex quibus &
à quibus, & cuius gratia sit à natura constitutus ex his est
satis manifestum.

Vnguium species, & differentie. Cap. I I.

Vngues humani alij pedum, alij manuum sūt, qui sunt
in pedibus, quamuis & ipsi suam habeant significa-
tionem, attamen quoniam apud probos, & ciuiles viros ra-
ro spectantur, neque enim inter diu ingenui sine caligis, &
calceis gradiuntur, de ynguis pedum non erit sermo, sed
tantū de his qui sunt in manibus. Differunt inter se humani
vngues, substantia, quātitate, qualitate, loco, actione, & pa-
sione; substātiām voco, ex Medicorum sententia, duritiem,
mollitiem raritatem densitatem, item leuorem, & asperita-
tem, & cæteras qualitates secundas, quas cognoscit sensus
tactus; secundum quantitatēm vngues, vel magni, vel parui
sunt, continui, vel disiuncti, & fissi, atque id vel natura, vel
arte etiam, vel demum casu, item vel magni sunt, vel parui
secundum latitudinem, vel secundum longitudinem, vel
demum secundum omnem dimensionem: At qualitas mul-
tiplex est namq; habent habitum, vel potentiam ad scal-
pendum, ad secandum; ad stringendum quæ capiunt, & in-
terdigitorum vngues hi magis, illi minus hac potestate in-
signiti sunt, longe enim ad actionem paratores sūt vngues
manus dextræ, quam sinistræ; & pollicis, aut indicis, quam
reliquorum digitorum. Qualitates vnguium præter sen-
sum tactus, iudicat etiam visus; & quidem secundum to-
tum vnguem, cū alios albos, alios purpureos iudicat, alios
demum pallidos, & liuidos, & ad nigredinem accedentes;
Et secundum partem etiam de his determinat, dum hos un-
gues videt puros, alios vero canaliculis plenos, & quasi
striatos; & quosdam alios maculis distinctos, colore, radijs,
locis inter se longe diff. rentes, secundum colorem enim alij

A 2 macu-

4 DE VNGVIVM PRAESAGIIS.

maculas habent albas, alijs nigras, liuidas rubras, ad nigredinem accedentes; ex his maculis alijs radiosæ dicuntur, alijs radijs carent, & vt cunque vel sunt in principio, vel in medio, vel in fine vnguis. Diuiditur enim à chyromanticis, in tres partes vnguis, prima ea est, quæ infixa carni est, vnguis dicitur radix, in plurimis alba, & hæc non solum viuit, sed ferè sensus est particeps, secunda ea est, quæ ad ruborem accedit in his qui bene valentes sunt; Tertia extrema est, quæ neque sentit, neque viuit nisi vt capilli, quare & sine sensu secatur; Hæc autem pars tertia à chyromanticis despiciuntur; figuræ etiam vnguium spectare conuenit; nam alijs sunt oblongi, alijs rotundi, alijs recti, quidam curvi, turpes pulchri, & quales inter se, in æquales, & male tornati, & impoliti; secundum loca etiam de vnguibus fertur iudicium, nam quamuis eodem penitus maculæ sint in duobus digitis diuersarum manuum, non idem significant, neque etiam si sint in diuersis digitis eiusdem manus easdem indicant, animi, vel corporis dispositiones, & naturales habitus. Quod ergo loco differat ex his etiam est manifestum; distinguuntur quoque secundum agere, & pati, quoniam alijs sunt robusti, & apti ad labores tolerandos, & opera facienda, prout eorum fert natura, parati, & commodi, alijs ex opposita sunt imbelles, & propter mollitiem ad operationes digitorum iuuandas inepti, & in efficaces; Tot ergo videntur esse vnguium differentiæ, quas tactus, & visus iudicare potest. Neque enim auditus, aut gustus, aut odoratus de his fert iudicium, neq; perse aut per accidēs, vt puto, esse perspicuum.

Quid ex vnguium inspectione colligi possit. Cap. III.

Considerationem vnguium sibi proponunt, & chyromantæ, & Physici, vel Medici; at longe diuerso procedunt modo, & alter ab altero diuersam habet intentionem; Chyromantes observationibus memorijs, & experientijs se procedere ait, Physicus ratione vtitur, & demonstratio-